



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Illvstri Regi Anglorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

arcu vel gladio confidentes, sola sua inefabili pietate reduxit, in iustitia & iudicio gubernetur, per vos fideliter exequentes quod scriptum est, *Diligite iustitiam qui iudicatis terram*, & inimici vestri in circuitu inflammentur, dum in devotione Rom. Ecclesiae, quae verè de se dicere potest, *Iugum meum suave est & onus meum leve*, securi hostium sublata formidine fideliter persistetis. Inde est quod paci & tranquillitati vestrae paterna volentes sollicitudine providere, dilectum filium nostrum G. S. Mariae in Aquiro Diac. Cardinalem, virum utique providum & discretum, quem inter alios fratres nostros speciali caritate diligimus, vobis duximus praeposendum, ut vestrae pacis & salutis regimen ulterius exequatur, utramque potestatem, spiritualem videlicet & temporalem, ei vice nostra commisimus, ut dum in eo potestas utraque convenerit, utraque ad iura per alteram liberius valeat exerceri. Cui dedimus in mandatis, ut vos tanquam Ecclesiae Rom. filios speciales diligat & honoret, & sic iura nostra procurer, ut aliena non laedat, sed quod suum est unicuique studeat conservare. Univerſitatem itaque vestram attenta in Domino exhortatione monemus ut devoti atque ferventes in fidelitate Rom. Ecclesiae matris & dominæ vestrae immobiliter perduretis, per apostolica vobis scripta mandantes, & districtè præcipientes, quatenus ipsum tanquam rectorem vestrum & apostolicæ sedis Legatum debito suscipientes honore, eique tanquam personæ nostræ reverentiam & obedientiam in omnibus exhibentes, mandata ejus pariter & statuta recipiatis humiliter & irrefragabiliter observetis. Nos enim quicquid idem Legatus vester & rector duxerit statuendum ratum habentes & firmum, auctore Domino faciemus inviolabiliter observari.

In eundem modum Potestati & populo Reatin. Baronibus, nobilibus, & universis fidelibus nostris in Reatin. dioc. constitutis. In eundem modum Potestati & populo Fulginat. Baronibus, nobilibus, & universis fidelibus nostris in Fulginat. diocesi constitutis. In eundem modum Potestati & populo Assisinat. Baronibus, nobilibus, & universis fidelibus in Assisinat. diocesi constitutis. In eundem modum Potestati & populo Eugu-

bin. Baronibus, nobilibus, & universis fidelibus nostris in Eugubin. diocesi constitutis. In eundem modum Potestati & populo Perusino, Baronibus, nobilibus, & universis fidelibus nostris in Perusin. diocesi constitutis. In eundem modum Potestati & populo Castellan. Baronibus, nobilibus, & universis fidelibus nostris in Castellan. dioc. constitutis. In eundem modum Potestati & populo Tudertin. Baronibus, nobilibus, & universis fidelibus nostris in Tudertin. diocesi constitutis.

ILLVSTRI REGI Anglorum.

Literas quas nobis regia serenitas super negotio Cantuarien. Ecclesiae destinavit, benignè recepimus; & earum tenore diligenter inspecto, intelleximus celsitudinem regiam super eo quod scripserat fuisse per falsi suggestionem in pluribus circumventam, cum bonæ memoriæ B. quondam Cant. Archiepiscopus in constructione capellæ juxta Cantuariam de * felicitis recordationis Lucij & Urbani prædecessorum nostrorum scripserit processisse, cum potius idem V. prædecessor noster opus illud per sententiam præceperit demoliri, & locum ipsum maledictum haberi mandaverit & prophanum, sicut ex literis ejus serenitati regiæ poterit manifestè liquere. Præterea cum dictus Archiepiscopus denuo voluisset quæstionem suscitare sepultam, bonæ memoriæ quondam Cantuarien. Priore cum quibusdam monachorum & nunciis ipsius Archiepiscopi propter hoc apud sedem apostolicam constitutis, felicitis recordationis Clementis Papa prædecessor noster opus illud de fratrum consilio funditus demoliri præcepit. Venerabilis verò frater noster Vbertus Cantuarien. Archiepiscopus volens in opere damnato procedere, etsi locum mutaverit, à dicti tamen prædecessoris sui proposito non creditur recessisse; cum post multiplices inhibitiones sibi ex auctoritate apostolica factas, post appellationem sæpius interpositam ad apostolicam sedem, post contradictionem dilectorum filiorum Cant. monachorum, de bonis Cantuarien. Ecclesiae in non modicum ejus præjudicium & gravamen, sicut à multis & magnis accepimus, in capella de Lamhee amplas præbendas statuerit, & largas ei possessiones & redditus assignarit, & ad structuram

Epist. 357. De capella quadam Cantuariensi, propter quam Pontificem Rex adierat per literas. Vide supra epist. 111.

* mandato

* f. noster & vester rector

ipſius Eccl. ac domorum ejus ea paraverit quæ in utilitatem & decorem Cant. Eccleſiæ ſponſæ ſuæ potiùs debuerat convertiſſe. quod cum ad bonæ memoriæ Celeftini Papæ prædeceſſoris noſtri audientiam perveniſſet, quod à dictis prædeceſſoribus noſtris ſtatutum fuerat, ratum habuit, & præcepit ſine cujuſque refragatione ſervari. Clericos etiam de Lamhee à juramento de obſervatione novæ capellæ dicto B. Cantuarien. Archiepiſcopo præſtito denuntiari mandavit penitens abſolutos, & eis diſtrictè fecit injungi, ne ulterius novam capellam vel Eccl. de Lamhee obſervarent, nec per ſe nec per ſuos miniſtrarent in ea divina, eos mandans eccleſiaſtica diſtrictione percelli qui mandato apoſtolico contrairerent. Sanè ſi dictus Archiepiſcopus, quid potiùs expediret, attenderet, in Eccl. Cantuarien. metropoli ſua, quam beatus Pontifex & Martyr Thomas ſuo ſanguine conſecravit, libentiùs reſideret, & in ſtructura ipſius vel aliis ejus utilitatibus erogaret quod in damnati operis conſtructione diſpergit: à quo etſi nihil aliud ejus compelleret voluntatem, vitatio tamen gravis ſcandali, quod inde provenire cognoviſcit, eum debuerat revocare, cum ſacra ſcriptura docente debuerit didiciſſe, quòd licet opera illa, quæ ſine mortali peccato omitti non poſſunt, non ſint pro vitando ſcandalo dimittenda, nec ea debeant pro ſcandalo vitando committi quæ ſine mortali peccato committi non poſſunt, ab his tamen quæ committi non poſſunt ſine mortali peccato pariter & dimitti, ſit pro ſcandalo tollendo ceſſandum, & eis etiam pro vitando ſcandalo inſiſtendum. Vnde Apoſtolus in epiſtola dicit: *Si ſcandalizaretur frater, carnem non comedere in æternum.* & Dominus in Evangelio contra eos qui ſcandali præſtant materiam: *Va, inquit, homini illi per quem ſcandalum venit. Melius eſt ei ut ſuspendatur mola aſinaria ad collum ejus, & demergatur in profundum.* Rogamus igitur ſerenitatem regiam, monemus, & exhortamur in Domino, quatenus non citò moveatur à ſenſu ſuo, nec facile credat omni ſpiritui, aut uſque adeo detractoribus benevolam præſtetur auditum, ut de nobis ſiniſtri aliquid ſuſpicetur quòd aliquem contra juſtitiam gravare velimus, aut jura regni tui, quæ honeſtati conveniunt, vacuare. Novimus enim, ſicut

in literarum tuarum exordio expreſſiſti, quid ad officium noſtrum pertineat, & quare ſimus ſuper gentes & regna non noſtris meritis, ſed divino munere, conſtituti. Novimus etiam quòd nobis incumbit uniuſcujuſque jura tueri. Et ideo à juris tramite nec in hoc nec in alio negotio volumus favorem cujuſlibet declinare. Nolumus præterea prædeceſſorum noſtrorum rationabilia revocando ſtatura, revocandi quæ rationabiliter facimus vel ſtatuumus ſucceſſoribus noſtris exempla præſtare, qui prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis in præſenti negotio & adhæſimus hætenus & in poſterum intendimus adhærere, ne ſuper crebra mutatione præſtemus aliis materiis tuis ad falſam ſuggeſtionem expreſſeris quòd in hoc negotio à veſtigiis prædeceſſorum noſtrorum videmur præproperè receſſiſſe, non ſolum jura regni tui non lædere, immo etiam minores quolibet in regno Angliæ conſtitutos in ſuis juſtitiis conſovere, ac ideo ſolicite præcavere intendimus, ne minores à majoribus opprimantur. Quod enim de conſuetudine regni Anglorum procedere regia ſerenitas per ſuas literas intimavit ut liceat tam Episcopis quam Comitibus & Baronibus Eccleſias in * feudo ſuo fundare; Laicis quidem Principibus id licere nullatenus denegamus, dummodo dioceſani Episcopis eis ſuffragetur aſſenſus, & per novam ſtructuram veterum Eccleſiarum juſtitia non lædatur. Sed ex hoc opere videtur Cantuarien. Eccleſiæ dignitas ex parte non modica deperire, cum non referat quòd ad remotiorem locum transfertur, eadem contradictionis cauſa durante. Vtinam ei divina bonitas inſpiraret, ut non de alieno, ſed proprio conſtrueret Eccleſiam, in qua regulares Canonicos inſtiteret, qui ſuum Domino jugiter impenderent famulatum. Cum autem te, ſicut ſpeciale Eccleſiæ filium, & catholicum Principem, ſyncero in Domino diligamus affectu, nec tuæ velimus poſtulationi, quantum cum Deo poſſumus, aſſenſum apoſtolicum denegare, juxta petitionem regiam in negotio memorato procedere differemus, donec dicti Archiepiſcopi nuncij noſtro ſe conſpectui repræſentent, niſi forſan ex malitia ſuam abſentiam diutiùs procuraverint. Verùm cum ad judicium ventum fuerit,

Vide Nota ad
Lupum Ferrer.
p. 51.

* f. fundo

fuerit, nec declinabimus ad dextram nec sinistram, nec ob gratiam aut favorem cujuslibet à justitiæ tramite recedemus; qui & justitiam prosequi cupimus, & prompti sumus, secundum Apostolum, inobedientiam omnem ulcisci, cum acceperimus tempus justitiam judicandi.

*VNIVERSIS ABBATIBVS
Cisterciens. Ordinis in generali Capitulo
constitutis.*

Epist. 388.
Vt pro Pontifice
ardenter orent,
& Abbatem de
Sabucio, Sicu-
lis verbum Dei
predicantem,
habeant pro ex-
celsio.

IN navi nostri piscatoris gubernatoris gerentes officium, dum inumentium fluctuum tempestates elidimus, dum insurgentium ventorum rabiem evitamus, ex nostra quasi prorsus infirmitate deficiamus, nisi vos & alij, qui relictis retibus & navi pauperem Christum pauperes imitami, & cum ipso undas maris vestigio sicco calcatis, vestris nos juveris orationibus apud ipsum, qui cum imperat ventis & mari, aquilonem convertit in austrum, & tempestatem redigit in tranquillum. Licet enim juxta testimonium Veritatis jugum Domini suave sit, & leve onus ipsius; insufficientia tamen nostra pressa gravitate pastoralis officij, & emergentium negotiorum multiplicitate gravata, dum cum Martha circa frequens satagit ministerium, nunc obscura quæstionum elucidans, & certo in ambiguis usâ responso, nunc difficiles nodos causarum juxta diffinitionis manu dissolvens, nunc malignorum incursum refrænans, nunc humilibus clypeum apostolicæ protectionis indulgens, & quasi se totam impendens negotiis aliorum; nisi vos, (qui eum Maria sederis juxta pedes Domini, audientes verbum ipsius, & suaves Rachelis fovetis amplexus, immo qui scala orationis continuæ nubes transcenditis, cælorum intima penetrantes, non solum cælestes delicias, verum etiam cælestium deliciarum auctorem, panem cælestem, infirmorum salutem, remedium oppressorum, naufragantium portum, spem fidelium, militantium bravium, morientium vitam, & Ecclesiæ sponsum, verum scilicet Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua, oculis contemplationis inspicitis) defectum nostrum sanctis orationibus suppleatis, vix tolerare poterimus pastoralis onera gravitatis, quin potius tantæ sollicitudinis succumbemus. Novimus enim quod ab eo plus exigitur cui plus committitur; & cum augentur

dona, rationes etiam crescunt donorum. Propter quod tanto amplius vestris orationibus nos credimus indigere, quanto major nobis est sollicitudo commissæ, & ad superiorem sumus immo supremum ecclesiasticæ dignitatis apicem, licet insufficientibus meritis, exaltati, cum secundum Apostolum instantia nostra sit omnium Ecclesiarum sollicitudo continua. Novimus etiam quod multum valet deprecatio justis assidua, cum puras manus sine disceptatione levat ad Deum; & quanto magis in conspectu Domini orando humilius se prosternit, tanto se amplius ad eum Dominus exaudiendum inclinatur, & ipsum vicinius & familiarius intuetur. Ipse etenim humilia respicit, & alta à longè cognoscit: qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Novimus præterea in Evangelio esse scriptum: *Petite, & accipietis: querite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis.* & paulo post: *Omnis enim qui petit accipit, & qui querit invenit, & pulsanti aperietur.* Qui petit fide, accipit vitam: qui querit spe, invenit viam: qui caritate pulsatur, ei veritas aperitur, illa videlicet quæ de se dicit: *Ego sum via, veritas, & vita.* Rogamus igitur universitatem vestram, monemus, exhortamur in Domino, quatenus insufficientiam nostram ex humana infirmitate pensantes, præter generalem illam orationem quam pro nobis effundit universalis Ecclesia, in orationibus vestris memoriam nostri specialius habeatis: ut ille qui ad apostolatus officium nos vocavit, ad salutem nostram & commissorum regimini nostro populorum profectum nos illud implere concedat, & defectum nostrum suo dignetur omnipotentatu supplere, qui dat omnibus affluenter & non impropere, taliter in suorum nos dirigens observantiam mandatorum, ut vita nostra luceat subditis ad exemplum, & verbum proficiat ad doctrinam. Petite ut spiritum vitæ nobis Dominus benignus infundat, & gratiam suam in nobis multiplicare dignetur. Querite, ut qui Petro porrexit dexteram naufraganti, & ne mergeretur erexit, viam nobis salutis ostendat, & erigat, ne secularibus negotiis ultra quam expedit immergamur. Pulsate, ut intelligentiæ nobis veritatem aperiat, & sic dirigat gressus nostros in semitis suis ut non moveantur vestigia nostra, quin immo lucerna pedibus nostris verbum